



*Band II.*



L 545-704

Archiv 104

No 545-704.

VIRO  
 MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO,  
 DOCTISSIMO,  
**BENEDICTO CLEMENTI  
 CLAVSVIZIO,**  
 CLIENTELAE FRANKENTHALII,  
 ICTO CELEBERRIMO,  
**CONSVLATVM SECUNDVM**

DIE I. MARTII MDCCLXXXII.

LAETISSIMIS AVSPICIIS INITVM

HOC PIETATIS ATQYE OBSERVANTIAE MONVMENTO

GRATVLABANTVR

GYMNASII COLLEGAE.



BVDISSAE,

EX OFFICINA GEORGII GOTTHOLDI MONSII.

**I**nter piorum carmina civium  
Plausumque lætum et verba faventia,  
Si fors mea dignatur ulla  
Concinuisse lyra camœna,

Et spiritus si vel tenuis datur,  
Nobis Latini forsitan eloqui,  
Lætantis interpres Lycei  
Ille fit, ille animique grati

Testis mei, quem patribus advenam  
Jamjam benignus conciliat favor,  
Budissa quem nulli secundum  
(Spondeo!) mox pietate noscet.

Deus magistratum ipse Tibi et Tuæ  
Fortunæ urbi, digne pater sequi  
Bæhmerum, et æque þar ferendo  
(Sic erat ille) oneri decoro.

L. F. G. E. Gedike,  
Rector.

**E**n iterum felix annus nascetur in vrbe!  
Omina grata noui Consulis annus habet  
Cernis, vt accedat rerum Clausurizius orbem,  
Haud secus eois hesperus exit aquis,  
Vt populus clamet: salve, Pater optime, salve!  
Te pastore timent nulla pericla greges.  
Clauum dextra tenet spectata, fidesque ministrat  
Et pudor, amisit pontus et aura minas.  
Quid? non tuta fouent, quæ terras, otia ciuem?  
Paciferi Augusti sub pede bella iacent.  
Quam quoque læta Ceres de cælo prospicit agros,  
Sidere et optato surgit amica seges!  
Talibus auspiciis manabat copia frugum,  
Vix totum capiunt horrea ruris onus:  
Artibus et cultu crescens opibusque virisque  
Conspicuum tollit pulera Budissa caput.  
Ergo animis vt et ore tibi, Bæhmeræ, fauemus,  
Nonne domus lauru, qua modo sceptræ, viret?  
Quale quies lassis, gelidæ sitientibus vndæ,  
Depositisque salus, cura secunda fuit.  
O vtinam hoc semper visant nos tempora vultu!  
Præsidibus tantis vsque manebit honor.

M. Ioannes Theophilus Coberus,  
Corrector.

**E**n, clavum pangit Böchmerus fronte serena,  
Thura ferens solennia flammis Consul amatus.  
Læta cohors patrum clamans: Feliciter! adstant,  
Et meritas soluunt expleto munere grates.  
Cura Dei vigilans dissecit nubila densa;  
Et cælum caligine cæcum splendet ab ortu.  
Ast agitat Gallos demens discordia fratres;  
Scinditur incertus studio in contraria Belga,  
Atque crux regnat feralis Erinnys.  
Sed ferro claudet supremus civica bella;  
Nec tanget ferrugine te, fidissime Saxo,  
Quæ validas patriæ vires in viscera vertit.  
Namque fides sua Lufatis pietasque manebit.  
Hac confidens, quod fecisti, Consul amande,  
Gnauiter omne fausto summae consule rerum.

Ehrenfried Traugott Demuth,

Subrector.

---

**E**n redeunt plausus, lœtatur grata Budissa,  
Conclamant cives: advenit ille dies,  
Quem colimus semper merito lœteque pieque,  
Plausus hic nobis causaque fonsque fuit.  
Tradit enim Patri Pater optimus urbis habens,  
Civis in incerto est, quem studio anteferat.  
Curia enim studio simili æqualique tenetur  
Crescat perpetuo civis in urbe salus!  
Optares Patres a Numine, nec meliores  
Judicium pareret, fingeret ingenium.  
Clara Budissa, cluis fere terque quaterque beata,  
Fortuna invidiam nunc, meritoque timet.  
Quæso perpendas animo: cui munera debes  
Innumerabilia, aut cui referenda tenes? —  
Gratia prima Dei, post inclyta cura Sénatus  
Indefessa, diu prospera nonne fuit?  
Civis, funde preces, sacrentur candida vota:  
Hos Patres habeat cara Budissa diu!

Iohannes Samuel Petri,

Dir. Mus. Cant. et Coll. Gymn.

---

**T**empus adest aptum precibus: valet ille, videtque  
Vires et res, urbs lœta, valere tuas.  
Ille valet, patrocinium quem pauperis omnis,  
Sponte sua probitas, officiumque juuant.  
Quo votiuo templa Dei sacra thure coluntur!  
Justitiæque valent cætera membra domus.  
Quisque bonus ciuis venit in certamen amoris;  
Hac hominum nulli parte secundus ero.  
Mens sibi participi communis nostra salutis  
Primum lœtitiae non negat esse locum,

Ebria sorte sua tam festis hisce calendis  
Anni principio, voce tubæque sacris.  
Salve læta dies! qua suscepere Senatus  
Collegæ sancti munia nocta Deo.  
Clausuizius fasces sublimes accipit urbis,  
Bœhmerus digne quos moderatus erat.  
Cujus et imperio patrum renouata resurgent  
Fundamenta scholæ, perveterisque domus.  
Comprecor, eueniat quodcumque salutis utrique!  
Quin Deus optanti prospera signa dedit.  
Auxilium reliquis erit altum patribus ipse:  
Plaudent Budissæ curia, templa, scholæ.

Iohannes Georgius Raussendorf,

Coll. V.

---

**S**ic repetit regimen nostræ Claußwitius urbis,  
Sic repetunt cives vota precesque simul.  
Omen adest faustum, Bœhmeri Consulis annus!  
Adfuit Huic Jove gratia summa Viro.  
Respice, namque olim Claußwito favit et ipsi,  
Cui nunc ut faveas, quæsumus, alme pater.  
Ille tibi soli confidit, Jova benigne,  
Ergo juva auxilio consilioque tuo.  
Vita salusque Viri vigeant, et viribus auctis  
Corporis atque animi sic ferat urbis onus.  
Conciliumque Patrum salvum cum Consule serves,  
Ut profint urbi porro diuque, precor.

M. Christ. Huldr. Fridemannus,

Coll. VI.

---

**C**arminis officium poscit repetita Senatus  
Lectione: cum votis iungite vestra meis  
Vota, boni cives, meritasque rependite laudes,  
Qui facit hæc nobis annua festa, Deo.  
Bœhmerus, civis tutela decusque Senatus  
Eximum, cedit fascibus incolumis.  
Detur inoffensæ Tibi secula degere vitæ!  
Nube vaces omni! tota caterva canit.  
Jam regit hanc nostræ molem Claußwitius urbis.  
Publicus omnium amor, namque, ut ametur, amat,  
Sic nobis felix, Hoc Præsule, defluet annns!  
Sic Patribus felix defluet ille Bonis.

Ioannes Petrich,

Coll. Gymn. Adj.



Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1066905 1